

LX.  
De.

II f  
559

# HOMINE

X1860415

*Tres Discipuli,*

Georg. Henricus Rosenberg / Goth. Thuring.

Fridericus Liefmannus, Cassoviâ-Pannon.

Johann Gottlob Lehmann, Budiss. Lusat.

*Theologicè,*

*Physicè,*

*Ethicè,*

Confiderato, memoriter dicturi die 28. Martij.

*Hos*

Audiendos, ut consuetâ & laudandâ

*Humanitate dignos*

*judicent*

DN. Patroni, Fautores, & Amici

*humanissimis precibus*

*petitum it.*

M. Johannes Rosenberg/

Schol. Budiss. Evang. Rect.

BUDISSÆ, TYPIS RICHTERIANIS, AN. M DC XCI.





2.  
Homini data est oratio & Ratio, ut de omnibus, quæ videt auditquæ, & cogitare & differere possit. Omnia sub humanum intellectum & colloquium cadunt. Sed nescio, an magis proprium sit hominis, quàm de homine cogitare & loqui. Alia enim si solum DEum exceperis, videntur peregrina & aliena; Sed Humana in hominis pectore & ore sunt domestica. Et quia hoc argumentum peroraturis & Valedicturis præ cæteris arrisit, ita etiam ego *Homo Hominem* paulò penitius contemplanor. Quod verò primò ad ortum attinet, satis ex sacris literarum Pandectis constat, primum hominem ex glebâ terræ à DEO productum esse. Hinc nomen *Adami* ab *אדמא Terra*, quod ex *terrâ* esset format<sup>9</sup> & subsequente lapsu in *terram* esset reversurus. Sed gentiles, uti pleraquæ alia, ex *Noacho*, ejusque filiis percepta veritatis aurum multis fabularum scoriis corruperunt. Alii igitur pro DEO ter opt. Max. *Prometheum* hominis conditorem esse fabulati sunt. Ille ipse *Prometheus* apud *Lucianum* in *Prometheo* p. 169. dicit, ὀλίγον πλῆ̄ parum luti se accepisse, & ex eo hominem formasse. Idem ex *Æschylo* Poëta p. 170.

γαῖαν ὕδατος, καὶ διαμείλασας ἀνέκλασα ἴσος αἰθρώπης. i. e. *Terram aquæ miscens & molliens effinxi hominem*. Usus autem fingitur *Prometheus* consilio *Minervæ*, imò etiam *Epimethei* operâ. *Plato* in *Timæo*, p. 320. Ob eandam causam, in primis quod formasset mulieres, in Monte *Caucaso* cruci affixum, addita aqvilâ, quæ jecur ejus depasceret, Poëtæ fingunt. *Lucian* c. l. Nec soli *Prometheo*, sed *Vulcano* etiam claudo illi fabro fabricandi hominis scientiam tribuunt fabularum Auctores. Quid in *Vulcanio* homine, recens formato *Momus* desideraverit, refert *Lucian*, in *Hermotimo* p. 199. Insuper ad *Pyrrhæ* lapides reparatum genus humanum, quod diluvio interierat, referunt Poëtæ, de quo *Ovid*, 1. *Metam.* v. 395. Inde *durum* genus. *Ovid*, c. l. v. 414. item, *Virgil*, 1. *Georg.*

3.  
Georg. v. 62. & Ecl. 6. 41. Idem Ovidius c. l. v. 75. dubius  
hæret, cui hominis ortum adscribat. Sic enim v. 78. canit:

*Natus homo est, sive hunc divino semine fecit  
Ille opifex rerum, mundi melioris origo,  
Sive recens tellus, seducta q̄; nuper ab alto  
Æthere cognati retinebat semina cæli,  
Quam satus Japeto mistam fluvialibus undis  
Finxit in effigiem moderantum cuncta deorum.*

Democritus Leucippus & Epicurus hominem, imò to-  
tum Mundum ex *Atomis*, i. e. tenuissimis pulvisculis temerè  
confluentibus ortum statuerunt. Sed hos refutat Cicero  
lib. 2. de *Nat. Deorum*: *Isti, inquit, quemadmodum asseve-  
rant ex corpusculis non colore, non qualitate aliqua, quam  
πῶσις καὶ ἡλὰ vocant, non sensu præditis sed concurrentibus temerè  
atq̄; casu, mundum esse perfectum, vel innumerabiles potius  
in omni puncto temporis alios interire. Quid si mundum effi-  
cere potest concursus atomorū; Cur porticum Cur templum, cur  
domum, cur urbem non potest, quæ sunt minus operosa, & mul-  
to quidem facilia. Et lib. 2. *Tusc. quæst.* Non temerè nec  
fortuito sati & creati sumus. Sed profecto fuit quædam  
vis, quæ generi consuleret humano. Huic addit suum calca-  
lum Sen. lib. 6. de *benef. c. 23.* Scias non esse Hominem tumul-  
tuarium & incogitatum opus. Inter maxima rerum *Natura*  
nihil habet, quò magis gloriatur, aut certè cui gloriatur. Alii  
ad *Naturam* naturalium omnium opificem & *Reatricem* con-  
fugiunt. Hinc *Parentis* nomen ipsi vulgò tribuitur. Cicero  
lib. V. *Tusc. Quæst. c. 13.* appellat eam *comunem Parentē* & *Pa-  
radox. I. rerum omnium Matrem.* Plinius tamen dubius  
adhuc hæret, parens ne melior Homini, an tristior *Noverca*,  
fuerit, lib. VII. *Nat. Hist. in proœmio.* Quid tamen per  
*Naturam* intelligi debeat, inter illos haut convenit, Cic. lib.  
2. de*

E. de Nat. Deor. c. 32. ita eam describit: *Naturam* censent  
 esse vim participem rationis atq; ordinis, tanquam viâ progre-  
 dientem declarantemq; , quid cuiusq; rei causâ efficiat, quid  
 sequatur, cuius solertiam nulla manus, nemo opifex conse-  
 qui possit imitando. Alias definitiones vid. cit. l. Quod si  
 igitur per *Naturam rem creatam* intellexerunt, toto errarunt,  
 cælo. Res enim creata non potest esse *creatrix*. Sin i-  
 psam *DEum*, tanquam *Naturam naturantem*, uti loqui so-  
 lent, respiciunt, rectè sentiunt. Hujus sententiæ fuit  
 acutissimus *Seneca lib. V. de benef. c. 7.* scribens. *Nihil aliud  
 est Natura, quam DEus, & divina ratio toti Mundo & ejus  
 partibus inserta.* Item c. 8. *Nihil agis, ingratiissime mortali-  
 um, quod te negas DEO debere, sed Naturæ. Nec Natura,  
 sine DEO est, nec DEus sine Naturâ.* Hanc sententiam lau-  
 dat *Lactantius de falsâ Relig. lib. 2. c. 9;* *Melius, inquit, Sene-  
 ca omnium Stoicorum doctissimus, qui vidit, nil aliud esse Na-  
 turam, quam DEum.* Huc referendum est *Melchioris Sebizii  
 Med. Doct. & Argentoratens. Profess.* Symbolum albis inscribi  
 solitum: *O Homo audacis naturæ miraculum.* Quod desumptum  
 est ex illo *Zoroastris: ὦ ἰολυμεροτάτης τῆς φύσεως, ἀνδρωπε, ἰέχνασμα.*  
 Alii homines ex terrâ, fungorum instar enatos somniarunt.  
 Hos *Græcè* vocarunt ἀυτὸχθονας & γηγενεῖς. Ejusmodi originem  
 jaçtitabant *Athenienses*, qui armis & literis sibi principatum  
 in *Græcia* vendicabant. *Soli Athenienses* (verba sunt *Justi-  
 ni lib. 2. c. 6.*) præterquam in incremento, etiam *Origine* glorian-  
 tur: quippe non advenæ, neq; passim collecta populi colluvies  
 originem urbi dedit: Sed eodem innati solo, quod incolunt,  
 & quæ illis sedes, eadem origo est. Inde & *terrigenæ Athenæ*  
 à *Ausonio de claris urbibus V. l.* appellantur. Sed quid de  
 hisce & similibus *Terrigenis* sit sentiendum, *Livius lib. 1. c. 8.*  
 docet. *Vetus hoc sentit esse consilium condentium urbes, qui  
 obscuram atq; humilem conciendo ad se multitudinem natam*  
 sibi

sibi e terra prolem ementiebantur. **Rectius Euripides,**  
 quamvis quasi per nebulam, Hominem σοφῶ τεκλονοσ ποικιλμα  
 i. e. *Sapientis Architecti vario ornatu instructum opus;* & Xe-  
 nophon σοφῶ λινωσ δημουργῶ καὶ φιλοζωῶ λέχημα. i. e. *Sapientis*  
 & *vite amantis cujusdam Opificis artificium* vocat. **Aristo-**  
**teles** Homini attribuit φύσιν καὶ εἰσὶν θεῖαν i. e. *naturam &*  
*essentiam divinam* lib. 4. de partu animalium. c. X. p. 1190.  
**Aratus Poëta,** quem & **Paulus Act.** 17. 28. allegare non du-  
 bitat, in Oratione coram *Areopagitis* inter Philosophos A-  
 thenientes habita, hominem in *Phænomenis* vocavit θεῶν γένος.  
**DEI genus.** **Plato** eundem salutat *Lib. 1. de Leg.* p. 644.  
 θεῶν γένος, *divinum miraculum.* Certè si quid admirandi  
 habetur in rota rerum universitate, in *Homine* apparet. Ad-  
 mirandum est opificium Homo *ratione corporis,* *ratione*  
*membrorum* tam externorum, quam internorum. Inde **Prota-**  
**goras** Hominem omnium rerum μέτρον *mensuram* dixit. **Plato**  
 in *Theæt.* p. 151. Tanta est certè proportio omnium inter se mem-  
 brorum, præsertim eorum, quæ gemina Natura dedit, nempe  
 oculorum aurium, manuū, pedum, ut divinam γεωμετρίαν in  
 homine agnoverint ipsi etiam Ethnici. Hinc **Platonis** dictum  
 θεῶν γεωμετρίαν. vid. *Erasm. Chil. 3. C. 3 adag. 60.* Edidit etiã **Albertus**  
**Dürrerus,** superiori seculo celeberrimi nominis Pictor, sin-  
 gularem librum de *Symmetriâ partium in rectis formis cor-*  
*porum humanorum,* qui luculentus est testis dictæ Geo-  
 metriæ divinæ. Porro admirandum est opificium homo  
*ratione staturæ & roboris;* unde *Gigantes & Pygmæi:* ratio-  
 ne *agilitatis & celeritatis,* unde *Hemerodromi:* *ratione æta-*  
*tis,* unde μακρόβιοι & longævi. Admirandum quoque est  
 opus Homo, *ratione formæ externæ,* *ratione pulchritudi-*  
*nis & diversorum oris lineamentorum,* ita ut ab Homine homo  
 inter tot myriades dignosci possit. Invenitur tamen quan-  
 doq; sed rariùs tanta similitudo *staturæ, ætatis, faciei, sermo-*  
 nis.

*nis, gestuum & morum, ut imposturæ quoq; & motibus publicis anfa olim præbita fuerit. Hinc Pseudo-Philippi Flor. lib. 2. c. 14. Pseudo-Alexander. Just. 35. 1. Pseudo-Agrippa. Tacit. Annal. 2. 39. Pseudo-Drusus Id. Annal. 5. 10. Pseudo-Nero, Id. Hist. 1. 2. & 2. 8. vid Lips. monit & Exempl. Polit. 2. 5. Ad hæc admirandum est Homo plasma, ratione Ingenii & memoriæ, variorum studiorum & affectuum. Terentianum est: Quot homines, tot sententiæ. Phorm. 2. 4. Et Per- sianum. Sat. V. 52.*

*Mille hominum species & rerum discolor usus  
Velle suum cuiquæ est nec voto vivitur uno.*

*It: Diversos diversa juvant Cornel. Gall. lib. IV. Eleg. v. 103. Quid dicam de admirandis Anima, imò etiam de admirando nexu Anima & corporis, ð Imaterialis & materialis, Imortalis, & mortalis, Spiritus & carnis, Cæli & Terræ. De hoc admirando vinculo vide Clauberg. in lib. de cognitione DEI & nostri. c. 79. Admiranda deniqve etiam maximè Ratio & Sermo, quibus Homo à brutis distingvitur. Certè quod sermonem attinet, præter alia multa admiranda, illud præcipuè admirationem meretur, quod è solis viginti literis per multiplicem transpositionem, tanta vocum copia oriatur, ut etiam si millies plura sunt gentium Idiomata, quàm sunt, nondum tamen omnem possibilium vocum exhaurire possint Numerum. vid. Comen. lingvarum Method. noviss. cap. 3. §. 29. Quod si hæc cuiquam forte dubia videntur, is par illud versuum, quos Lansius in præfatione Consultationum suarum, refert, expendat. Alter ex his exhibet catalogum Bonorum his verbis.*

*Lex, Rex, Grex, Res, Jus, Sal, Sol, (bona) Lux, Laus,  
Alter exhibet Indicem malorum h. m.*

*Mars,*

*Mars, Mors, Sors, Fraus, Fex, Styx, Nox, Crux, Pus, (mala)  
Vis, Lis.*

Hi duo verus vocabulorum transpositione, salvo sensu, perspicuitate & Heroici carminis integritate, vicibus 39916800. i. e. undequadragies millies mille, & nongenties sedecies mille, atque insuper octingentis variari possunt. Hæc si in scripturam redigenda essent, expeditum scribam, qui singulis diebus mille ac ducentas variationes chartis illineret, totos annos nonaginta unum & dies quadraginta novem strenuè exercitura essent, *Lanf. c. l.* Nec prætereundum hîc etiam est sermonis miraculum in derivatis, imprimis in *Latinâ & Græcâ* lingua. Audiamus *Vossium lib. 3. de Analogia c. 47. p. 183.* in *Aristarcho* ita sanè loquentem. *Quippe à recentioribus est observatum, ex uno verbo, doceo deduci species non quingentas solum ex numero Varro- niano: Sed mille sexcentas, & quinquaginta. Ac eo ipso longè fæcundius esse verbum, duco: ex quo. si septendecim ejus com- posita accenseas, proveniunt voces, amplius quater mille. Quod monitum quoque aliis & in iis, erudito viro, Thomæ Freigio. Hæc fæcunditas mirum in modum ditavit sermo- nem: qui quò uberior, eò melius certiusq; animi sensa expo- nimus. Sed ad hæc artis Grammaticæ miracula non attendit vulgus; Sapientes verò penè obstupescunt. Quanta porro admiranda ratione Phantasia & Antipathia in homine oc- currunt! Admiranda imaginationum genera collegit Polyhistor Zeilerus *Epist. 666.* In quibus & hæc leguntur. Persvasum quidem habuit vitreos sibi datos pedes, eaquè de causâ progredi noluit, ne forte confringeret. Alius se Butyraceum factum credidit, ideoquè, cum pistor esset, ad furnum & ignem accedere noluit, ne colliquesceret. *Jonstonus in Thaumatographiâ Naturali cap. 7. de admirand hom. cap. 7. art. 1.* refert, Hispani cujusdam servum se Regem esse putasse, & Prudentissimos de Regimine discursu in*

95  
77  
554


in morbo fecisse. Addit Rusticum quendam Lunam existente combustam, i. e. quando per 6. gradus est ante vel post Solem, carmina composuisse Latina, & transacta combustione ne unum quidem verbum Latinum proferre potuisse. Ratione *Antipathias* quotidiana Experientia varia exhibet exempla. Alii fastidiunt *carnes*, Butyrum, alii *caseum*, alii *vinum*, alii *aliud*. Alii feles, alii aliud animal ferre nequiverunt. Odorem a felibus profectum fumo e chartis luforiis accenso pelli Zeilerus indicat Ep. 78. ubi plura de Antipathia simili habentur. Oliverius Caraffa, *Cardinalis odoratam Rosam* (ut *Tibull. Eleg. 1. lib 3. v. 17.* eam appellat) ferre non potuit. Hinc rosarum tempore se hortulis suis abdidit, custodiis ad ostia dispositis, ne quis ingredientium rosam inferret. *Pontan. in Bellariis Atticis Syntagm. 1. Hist. 18.* Idem novit virum eximie doctum, qui ad *murem* vel pictum, aut nominatum exhorruit. Plura *admiranda*, in primis *curationem* morborum, quae solo fit *contactu*, ob angustiam chartae pretereo. Nec officium hominis, quod pro tantis mirabilibus donis Deo debetur, jam adducere licet. Multa etiam ad hanc materiam pertinentia declamatores in medium afferent. In quibus primus est Viri *maxime Reverendi, Amplissimi & Praclarissimi, Dn. M. Michaelis Liefmanni, Ecclesiae Evangel. hinc Pastoris Primar. ejusdemque Scholae Inspectoris meritissimi filius natu maximo.* Hic, haecenus *singulari Pietate Modestia & Industria* meruit, ut *optima notae & maxime frugis* Discipulis accenseretur. Quin cum tempore, Deo vitam, sanitatem & benedictionem aspirante, *paternae Eruditionis & famae splendorem* sit consecutus, nullum est dubium. Jam *primitias Oratorias Patronis commendaturus Hominem Theologicè, quoad Naturam institutam, destitutam & restitutam* consideratum, *Latino metro intermixto*, in medium producet. Alter Filius meus *Hominem Physicè* expendet, *Deique in hominem beneficia, & Hominis erga Deum officia* exponet. Quomodo se is haecenus gesserit, ne videar affectui paterno aliquid dare, aliorum *Præceptorum* erit iudicium. Hoc unum addo, *valetudinem oculorum* ex casu fortuito natam, & *incendium* proximum, quod ipsi ne pagellam quidem ex libris vel editis, vel scriptis reliquit, multum remora studii eius attulisse. Terti<sup>o</sup> est Viri *Nobilissimi, Amplissimi & Consultissimi, Dn. Johannis Lehmanni, Praetoris Dicasterii Budiss. meritissimi*, filius secundo Natu. Qui primam vice cathedram conscensurus *Hominem Ethicè*, ut primum *Affectuum ventis turbatum* deinde virtutibus *condecoratum & denique vitiis deformatum* ingenii penicillo describet. Is haecenus, testibus omnibus præceptoribus, dedit operam, ut Nomen obedientioris & diligentioris discipuli jure sibi vindicare possit. Certè neque lectionem ullam vel publicam vel Privatam sine justa causa neglexit, in eo secutus Dn. Fratrem, cui porro, sicut meretur, omnia prospera apprecor. Faxit DE<sup>o</sup> ut ille & reliqui tres fratres, Scholae nostrae concrediti; feliciter porro *ate & eruditione succrescant, & aliquando Parentum oblectamenta, Patriaeque ornamenta* evadant, quod ex animo exopto, simulque Lectorem benevolum optimè valere jubeo.

1077





Alia enim si sol  
 aliena; Sed Hu  
 ca. Et quia ho  
 præ cœteris ar  
 nitius contemp  
 fatis ex sacris  
 nem ex glebâ te  
*Adami* ab אדם  
 te lapsu in terra  
 alia, ex *Noacho*  
 fabularum scori  
 Max. *Prometh*  
 Ille ipse *Promet*  
 cit, ὀλίγον πηλῆ  
 masse. Idem ex  
 γαῖαν ὕδατος  
*Terram aqua* in  
 fingitur *Promet*  
 operâ. *Plato* in  
 mis quod forma  
 addita aqvilâ, qu  
*cian* c. l. Nec  
 li fabro fabrica  
 rum Auctores.  
*Momus* desiderav  
 super ad *Pyrrhæ*  
 diluvio interiera  
 v. 395. Inde *dur*




KODAK Color Control Patches

Kodak  
 LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

- Blue
- Cyan
- Green
- Yellow
- Red
- Magenta
- White
- 3/Color
- Black



t de omnibus,  
 differere possit.  
 m & colloqui  
 is proprium  
 gitare & loqui.  
 r peregrina &  
 sunt domesti  
 Valecturis  
 nem paulò pe  
 ortum attinet,  
 rimum homi  
 hinc nomen  
 & subsequen  
 s, uti pleraquè  
 aurum multis  
 DEO ter opt.  
 abulati sunt.  
 eo p. 169. di  
 nominem for  
 Ἰπώπης, i. e.  
 Usus autem  
 am *Epimethei*  
 ausam, in pri  
 cruci affixum,  
 fingunt. *Lu*  
 m claudio il  
 ant fabula  
 cens formato  
 no p. 199. In  
 anum, quod  
 id, 1. *Metam*.  
 em, *Virgil*. 1.  
 Georg.

Ge  
 ha  
 tu  
 co  
 lib  
 ra  
 no  
 at  
 in  
 ce  
 do  
 to  
 fo  
 vis  
 lu  
 tu  
 ni  
 ad  
 fu  
 li  
 ra  
 ad  
 fu  
 N

